



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. VII. Depulsio querelæ de nimiâ Crvcis longitudine aut pondere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CAPVT VII.

*Depulsio que relet de nimio CRVCIS longi-  
tudine, aut pondere.*

Id quod in præsentî est momentaneum  
& leue tribulationis nostræ, æter-  
num gloriæ pondus operatur in no-  
bis. 2. Corinth. 4, 16.

*Quid CRVCIS abscindis pondus tolerabile?*

*CRVX est*

*Quæ grauis, illa breuis; quæ diuturna, leuis.*



VI ex animo se Christi dedica-  
uerunt seruitio, primùm qui-  
dem suauibus quibusdam so-  
latis solent deliniri; nam in-  
star paruulorum, quibus lacte  
opus sit, à benignissimo Patre habentur. At  
vbi in virtute nonnihil adoleuerint, grauioribus  
subinde exercentur tentationibus. *Ho-*  
*stis enim noster quantò magis nos sibi rebellare*  
*conspicit, tantò amplius expugnare contendit.*  
*Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure pos-*  
*sidere se sentit. Quin & ipse Deus nonnum-*  
*quam se subducit, vt athletas suos experia-*

Greg 1. 24

Moral. c. 7

L 5

tur:

tur: atque hinc est quòd desolationis tempore, non rarò illa displiceant, quæ durante consolatione vel maximè placebant. Vicissitudinem hanc expertus est Regius Vates: *Pfal. 29,7.* qui de prosperitatis statu ita canit: *Ego autem dixi in abundantia meâ: Non movebor in æternum.* Sed quid in aduersitate? *Auertisti, inquit, faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Eamdem quoque alternationem in Stanrophilâ deinceps considerabimus. Vidimus eam iugo Domini collum submittentem, vidimus CRVCEM alacriter gestantem, & lætitiâ propemodum gestientem: nunc exortâ tempestate querulam, gementem, & tantùm non sub onere fatiscentem intruebimur. Hilariter CRVCEM exceperat, sed quò diutiùs eam ferebat, eò magis premebatur: & modò æquo longiorem, modò nimis querebatur grauem. Ad callida proinde conuertitur consilia, & abesse Christum rata, inferiorem CRVCIS partem ferrâ, nescio vnde acceptâ, abscindere cœpit.

Huic verò dum esset intenta operi, superueniens Christus, eam redarguit. Quid est, inquiens, quod video? Et hæc CRVCIS contumelia est, illi vel modicum velle demere. Hoc sine desideratum priùs & suaue jugum

iugum meum ferre? Cui Staurophila: Bona verba, quæso Domine. CRVX hæc longior apparet, quam vt eam ferre valeam, ideoque nonnihil amputandam putavi. Rectè, inquiebat Christus, dixisti, apparet; non enim reuera est, sed oculis malè affectis, aut per opinionum perspicienda delusis ita videtur. Breuis CRVX & leuis dolor est, si nihil illi opinio adiecerit. Contrà, si exhortari te cæperis, ac dicere, Nihil est, aut certè exiguum est, duremus, iam desinet: leuem illam dum putas, facies. Ad opinionem homines dolent: tam miser est quisque, quam credit.

At ego, aiebat Staurophila, dolorem grauem sentio. Cui Christus: Quidni sentias, si muliebriter tuleris? Non sentire CRUCEM, non est hominis; non ferre, non est viri aut viraginis fortis, quæ pro regno Dei fortia agere & pati Christianum putat.

Demiror ego, replicabat illa, CRUCEM posse dici nec longam nec grauem, quam talem videmus, palpamus, sentimus. Per eandem lineam, respondebat Christus, ferram reciprocas, vnde & regero quod antè dixi: Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus. Fit nonnumquam, vt duo quidam simillimâ & eadem pænè CRUCE premantur: alter

Seneca  
Epist. 78.

Senec. ibid.  
\* Seneca  
de Con-  
sol. ad Po-  
lyb. c. 36.

Epiet. En-  
chirid. c. 10

alter excitatoris animi, suam putat esse chartaceam; alter abiectoris & tristioris suam prorsus plumbeam. Hic non res, sed opinio diuersa est. Vis exemplo doceri?

Drexel. ib.  
cap. 4. ex  
Dionys.  
Carth. in  
Append. ad  
instruct.  
Nouit.

*Erat Carthusiani Ordinis Nouitius, quidam principis alacer, & ad omnia promptus, paulatim autem cepit languescere, & inter onera numerare, quæ initio facillima videbantur. Illud præcipue religiosum iuuenem vexabat: niger ei cucullus ut tironi ferendus erat. Hunc ille iniquissimis oculis intueri, & trabalem CRUCEM credere, quod aliorum neminem fatigauit. Fuit, ut huic iuueni meridiano somnum conciliaret altissimi silentij quies. Dum dormit, somniat me cum prægrandi CRUCE per cænobij ambulacrum incedere, & ascensum moliri per scalas, nec tamen progredi posse, ob immodicam CRVCIS molem. Igitur ille ipse tiro, qui hoc somniabat, visus est sibi accurrere, & adiuuare velle laborantem. At eum toruè intuens: Et tu, inquiebam, impatientissime, in meâ mihi ferendâ CRUCE sis auxilio? tuam portare nequis, & alios iuues? Euigilauit tiro ad has voces, & respuit, robustiora patientiæ specimina daturus. Quis non dixisset: Cucullus mi frater, quem horres, ater quidem est, sed leuis est, & ex ritu Ordinis Nouitius omnibus gestandus? Absit à seruo Christi*

Tertul. lib.  
de Patient.  
cap. 8.

tale

*tale inquinamentum, vt patientia maioribus  
tentationibus preparata, in friuolis exsodat.*

Non poterat his, vtcumque vellet, con-  
tradocere Staurophila; sed Assentior tibi,  
inquirebat, Domine IESV: *Morosum est, vt* Chrysof.  
*equidem experior, genis humanum, sortem* Hom. 67.  
*suam semper accusans, & animum gerens gra-* ad pop.  
*uatum. Proprium enim vnumquemque plus,* Antioch.  
*quàm alienum afficit, & se proximos quisq;*  
*superare putat. Sic oculum habens vitiatum,*  
*nullam aegritudinem aliam, talem esse censet,*  
*qualem suam: rursus qui stomacho laborat,*  
*hoc omnium esse difficillimum asserit; & quo*  
*quisque tenetur, hoc omnium molestissimum*  
*esse dicit. Idem euenisse mihi non diffiteor,*  
*sed hoc tamen mihi concedas velim, vt*  
*quando de longitudine CRVCIS nihil re-*  
*secare conceditur, liceat saltem dolabrâ*  
*hâc nonnihil læuigare. Præterquam enim*  
*quòd grauis nimium sit, rudis est & aspera*  
*CRUX, vt artus mihi planè comminuat.*

Sic loqueris filia? reponebat Christus:  
*cessa conqueri, melius est frangi laboribus* Bernard.  
*& doloribus ad salutem, quàm remanere* de Inter.  
*incolumem ad damnationem. In quantum* domo  
*autem grauaris, in tantum lucraris, & in* cap. 46.  
*quantum iuuaris, in tantum tua tibi præmia* Idem Epi-  
*minuis. Elige ergo, quod eligas, an quod* stolâ 73.  
*grauando iuuet, an quod iuuando grauet:*  
*hoc*

*hoc tibi meritum auget, illud minuit.*

1. Cor. 10,  
13.

August. in  
Psal. 98.  
post med.

Sed enim, inquebat Staurophila, impar ego sum tanto operi. Quasi verò, aiebat Christus, æterna Sapiëntia nesciret, quantum hominum ferrent vires? Repetendumne iterum quod dictum & doctum iam factis: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod patetis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere?* Nouit Medicus cur vni plus absynthij aut hellebori misceat, quàm alteri: nempe quia morbus eius sic postulat, aut natura. *Emplastrum mordax urit te, sed sanat te. Rogas Medicum, ut tollat emplastrum, & non tollit, nisi cum fuerit sanatum quo posuerat. Ego noui quem curo, non mihi det qui egrotat consilium, potius acquiescat meo, si sanari velit.*

2. Cor. 4,  
16.

Ingemiscens Staurophila, Ah! grauis est inquebat, Domine, manus tua super me, & ecce deficio pænè sub hac tam longa, tam graui, tam acerbâ CRUCE. Repugnas, aiebat Christus, spiritui Dei, qui per Apostolum meum ait: *Non deficiamus, licet is, qui foris est noster homo corrumpatur. Et, quare obsecro? quia is, qui intus est, renouatur de die diem. Id enim quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ*

pondus operatur in nobis. Perge ergo iam  
 murmurare, & dicere; longum est, graue  
 est, non possum tam immania, & tam diutur-  
 na portare. Apostolus momentaneum & le-  
 ue perhibet esse quod toleras: & certè necdum  
 à Iudeis quinq̄ies quadragenas unâ minus  
 accepisti, necdum noctè ac die in profundo  
 maris fuisti, necdum plus omnibus laborasti,  
 postremò, necdum ad sanguinem restitisti.  
 Vide ergo, quòd non sint condigna passiones  
 ad gloriam. Quod tribulationis est, momen-  
 taneum est & leue; quod gloriæ, æternum  
 est, & pondus etiam supra modum in subli-  
 mitate.

Bernard.  
 Serm. de  
 Fallac. hu-  
 ius vitæ.

2. Corinth.  
 11, 24.



CAPVT



Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, nec  
deficiās, cū ab eo corripieris. *Prou. 3, 11.*



*Abicit eterne studium, spem, usque salutis,  
Quę volet impositam deseruisse CRVCEM.*